



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis difficultas resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

certa, actio enim meritoria praeii supernaturalis, debet tendere modo vitali & supernaturali in Deum, ut finem supernaturalem. Minor vero probatur; non potuit anima Christi sine principio radicali vitalitatis supernaturalis, elicere actiones vitales vitalitate supernaturali, hoc enim implicat: Sed sola gratia habitualis est prima radix vitalitatis supernaturalis in anima, sicut sola anima est principium radicale vitalitatis naturalis; propter quod D. Augustinus eam vocat *animam animae*: Ergo non potuit anima Christi sine gratia habituali elicere actiones vitales vitalitate supernaturali.

47. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, distinguo Majorem: Non potuit anima Christi sine principio radicali vitalitatis supernaturalis, vel sine auxilio actuali suppleto ejus vicem, elicere actiones vitales vitalitate supernaturali, concedo Majorem. Sine principio radicali vitalitatis supernaturalis, sed tamen ut habens auxilium actuale suppleto vicem talis principii, qualem habere posset anima omni gratia habituali destituta, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem; Sola gratia habitualis est principium radicale vitalitatis supernaturalis, non supplebile de potentia Dei absoluta per auxilium actuale, nego Minorem. Supplebile per tale auxilium, concedo Minorem, & nego Consequentiam. Est enim manifesta instantia in peccatore fideli, actus supernaturales fidei & spei, atque adeo vitales vitalitate supernaturali, licet imperfecta, elicente, sine principio radicali vite supernaturalis, videlicet sine gratia habituali, cum solo auxilio actuali suppleto concursu talis principii radicalis in ordine ad illos actus.

48. Dices, actus vitales ordinis naturalis dependent essentialiter non solum a principio proximo, sed etiam a remoto & radicali vite naturalis; Ergo actus vitales ordinis supernaturalis, ab utroque principio dependent essentialiter. Antecedens est communis Philosophorum doctrina, & patet, quia alius intellectus ab anima separatus posset beatificari, & voluntas separata ab anima posset mereri, quod nullus que viderim docuit. Consequentia vero probatur a paritate rationis.

49. Respondeo, concessa Antecedente, negando consequentiam, & paritatem, ob duplicem rationem discriminis, quam assignat Oxoniensis Episcopus in Tractatu de Gratia personali Christi; Prima est, quia gratia habitualis, tamen si natura sit, non tamen adeo rigore habet rationem naturae, sicut anima rationalis unde sicut ob hanc causam deficit a subiectandis & in se immediate recipiendis proprietatibus ordinis supernaturalis, cum tamen anima rationalis suas proprietates immediate recipiat; ob eandem etiam deficit a terminanda essentiali dependentia a actu supernaturalium, quamvis actus naturales vitales hominis, ab anima rationali essentialiter dependent.

50. Secunda ratio discriminis est, quia anima rationalis est substantialis natura proprietarie & ratione sui, non ut ad alterius ordinem elevans, & ideo omnis vitalitas hominis petit in ipsam ultimam reduci: gratia vero est natura vitalis veluti substitutiva & elevativa, per modum formae ad divinum ordinem elevantis; & quia potest Deus hominem diversimode ad elicentiam supernaturalium actuum elevare, scilicet per principia fluida, aut per principia permanentia, pro-

xima & radicalia, consequens fit quod actus supernaturales vitales, a gratia ut a principio connaturali dependent, non tamen dependent essentialiter ab illa; id est quod licet connaturaliter & de lege ordinaria actus charitatis qui in ordine supernaturali perfectissime vitalis est, non possit sine gratia habituali elici, & in prima justificatione peccatoris ab illa procedat, ut in Tractatu de Justificatione docuimus; nihilominus praeternaturaliter & de potentia absoluta possit sine gratia & habitu charitatis, beneficio actuali transeuntis elici: subindeque Christus per actus charitatis sic elicitos, de potentia absoluta, potest praemium supernaturale promereri, quamvis non potuerit de potentia ordinaria.

Dices, Visio beatifica essentialiter dependet habitu luminis gloriae: Ergo pariter actus charitatis essentialiter dependet ab habitu charitatis, subindeque a gratia habituali, a qua ipse habitus charitatis dimanat tanquam proprietates.

Respondeo primo, negando Antecedens. D. Paulus in raptu fuit elevatus ad visionem beatificam per lumen gloriae ipsi datum per modum auxilii & qualitates fluidae & transeuntis, ut docet Divus Thomas 2. 2. quae. 177. art. 1. ad 1. & super caput 12. Epistolae ad Corinthios. lect. 1. ubi haec scribit: *Visio Dei per essentiam fit per lumen aliquod, scilicet per lumen gloriae, de quo dicitur in Psalmis, in lumine tuo videbimus lumen. Sed aliquod lumen communicatur alicui per modum passionis, cui vero per modum formae inherens, sicut lumen in inventur in carbunculo, & in stellis, ut forma inherens, id est connaturalis effecta; se in aere invenitur ut forma transiens & non permanens, quia non fit abeunte Sole. Similiter & lumen gloriae diaphanum menti insunditur: unomodo per modum formae connaturalis factae & permanentis, & sic facit mentem simpliciter beatam. . . . Alio modo contingit lumen gloriae mentem humanam, sicut quaedam passio transeuntis, unde etiam ipsum nomen raptus ostendit, transiundo hoc esse factum.*

Respondeo secundo, dato Antecedente, negando consequentiam & paritatem; Ratio discriminis est, quia visioni beatificae essentialis est exigentia permanentiae, ac proinde nequit contineri in intellectu, nisi ratione luminis ob intrinseco permanentis, quod lumen habitus est quoad essentiam: actus vero charitatis non exiget essentialiter & ex sua ratione specificam permanentiam, cum sit indifferens ad liberum & necessarium, ideoque potest in voluntate permanere, ratione formae ab intrinseco non permanentis, subindeque quae habitus non sit quoad essentiam.

ARTICULUS II.

Utrum omnes virtutes fuerint in Christo?

§. I.

Quibusdam praemissis difficultas resolvitur.

Suppono primo, virtutes esse in triplici differentia: aliae enim sunt intellectuales, aliae morales, & aliae Theologicae. De intellectualibus non est hic sermo, tum quia non sunt simpliciter virtutes, nec simpliciter dominantur hominem studiosum; tum etiam quia de illis agit D. Thomas

Thom. q. 7. sub nomine scientia, unde solū qua-
est de virtutibus theologicis, & moralibus.
Suppono secundū ex communi Theologorum
doctrina, dari duplex genus virtutum moralium:
quædam ordinis naturalis, quæ nostris actibus
acquiruntur, & regulantur per dictamen pruden-
tiæ acquiruntur: quædam quæ sunt in iustis, & deser-
vuntur in supernaturali, & per dictamen pruden-
tiæ supernaturalis regulantur. His præmissis

Dico primò, fuisse in anima Christi Domini
omnes virtutes supernaturales & per se infusas,
exceptis illis quæ cū statu beatifico, & cum unio-
ne humanitatis ad Verbum repugnant: unde ex
moralibus virtutibus non fuit in Christo peni-
tentia, nec ex Theologicis fides, nec spes.

Prima pars hujus conclusionis probatur primò
ex SS. Patribus qui illam distent docent: Ambro-
sius enim serm. 15. in Psal. 115. docet in anima
Christi fuisse virtutum omnium gnomas, quibus
ornatur illa corona gloriæ, quæ coronandum
Christum prophetaverat Salomon. Hefychius
verò lib. 2. in Levit. cap. 8. ait hoc esse rationale
judicii duodecim pretiosus lapidibus exornatum.
Concinne item Rupertus lib. 1. de Oper. Spiritus
Sancti animam Christi vocat paradysum delicia-
rum, in quo consistit virtutum omnium generis plan-
te frugifera. Authòr etiam Tractatus de Passio-
ne episcopi Bernardum cap. 16. videtur ut omnium
florum hortum, animam Christi proponere: Nam
(inquit) propterea exinanivit semetipsum formam
servi accipiens, & plantatus est in terra nostra, & cor-
poris nostri de symmatem accepit, & floruit;
& fructus plurimos attulit, ut per hoc quod nostræ hu-
manitati univus est, sua divinitati nos univus. Sed quia
sine flore non pervenitur ad fructum, floruit ille beni-
gnus Iesus. Qui sunt flores ejus, nisi virtutes? Nume-
rat paulò post specialiter in his floribus violam
humilitatis, liliū castitatis, rosam patientiæ &
charitatis, & florem abstinentiæ, quem crocum
dicunt.

Probatur secundò eadem pars ratione D. Tho-
ma hic art. 2. Virtutes supernaturales & per se in-
fusa consequuntur gratiam habitū. Iam, ut pro-
phetas essentiam, & consequenter illam semper
comitantur: Sed in Christo fuit perfectissima
gratia habitualis: ut art. 1. ostensum est: Ergo &
virtutes supernaturales & per se infusa.

Ex qua ratione colligitur, constituendas esse
hujusmodi virtutes in Christo à primo instanti
conceptionis, & in summo perfectionis gradu, de
lege ordinaria possibili, quia ab illo instanti fuit
habitualis gratia in anima Christi Domini in
summo gradu perfectionis possibili de lege ordi-
naria, ut infra ostendemus: proprietates autem
semper & pro semper comitantur essentiam, & in
perfectione cum illa commendantur.

Secunda verò pars quæ assertit in Christo non
fuisse penitentiam, neque fidem, & spem, proba-
tur sigillatim quantum ad singulas partes. Et in
primis quod in ipso non fuerit penitentia, brevi-
ter ostenditur, supponendo primò penitentiam
esse virtutem specialem distinctam à religione, à
iustitia vindicativa, & ab omnibus aliis virtuti-
bus, ut docet S. Thomas infra qu. 80. art. 2. & cum
illo communitur Theologi. Secundò actum pri-
mariū & specificativum penitentia esse aut
doloris peccati ex motivo emendationis, vel in-
tentionem operandi ad delerionem peccati præ-
teriti. Quibus suppositis, probatur habitum peni-
tentia non fuisse in humanitate Christi: Habi-
tus enim non potest esse in subiecto cui ab intrin-

A seco repugnat actus illius primariū: Sed huma-
nitati Christi, ratione unionis ad Verbum, ab in-
trinfeco repugnat actus penitentia primariū:
Ergo & habitus penitentia. Probatur Minor: Cui
repugnat objectum specificativum actus, etiam
actus ipse repugnat: Sed humanitati Christi, rati-
one unionis ad Verbum, ab intrinfeco repugnat
objectum specificans actum primariū penite-
tiæ, cum illius objectum sit peccatum proprium
penitentis, ut expiabile, vel emendabile, quod
humanitati Christi repugnat, etiam de potentia
absoluta, ut infra cum agemus de impeccabilitate
Christi ostendemus: Ergo Christo repugnat ac-
tus penitentia primariū.

B Similitatione probatur in Christo non fuisse
fidem: Etenim objectum primariū fidei est di-
vinitas non visa: Sed tale objectum non habet lo-
cum in Christo, qui ab instanti conceptionis cla-
re vidit Dei essentiam: Ergo nec habitus fidei; nō
enim stare potest habitus in subiecto, cui prima-
riū objectum talis habitus repugnat. An autem
possit simul idem objectum clarè & obscure videri,
diximus in Tractatu de Virtutibus theologicis
disp. 1. art. 6. ubi partem negativam, ut veriorē
& probabiliorem elegimus.

Eadem ratio probat in Christo non fuisse vir-
tutem spei, ipsi enim pariter repugnat objectum
spei, ratione visionis beatificæ, cum objectū pri-
mariū spei sit Deus ut non possessus, & ex vi vi-
sionis beatificæ Deus à Christo possideatur.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio:
Quia objectum primariū fidei est res divina non
visa, & Christus clarè videt Deum, excluditur fi-
des ab illo, in communi Theologorum sententia:
Sed objectum primariū spei non est quodlibet
sperabile, sed res divina, quatenus non possessa,
in ordine ad quam cætera attinguntur per spem,
ut ostendimus in Tract. de Virtutibus theologi-
cis, & Christus per visionem beatificam perfecte
possidet Deum: Ergo spes non est in illo.

Ubi obiter est advertenda differentia quam
statuit D. Thomas hic art. 4. in corp. inter fidē &
spem, quod videlicet quia Christus clarè & perfe-
ctè cognovit non solum quæ ad Deum spectant,
quæ sunt prima credibilia, sed etiam spectantia ad
creaturas, quæ sunt secundario credenda, nec
quoad prima credibilia, nec quoad secundario
credenda, fuit in Christo fidei actus. In spe verò
oppositum opposita de causa contingit; nam
Christus licet perfecte possideat Deum, qui est
primariū objectum spei, non tamen alia extra
Deum; & ideo circa illa quæ nondum adeptus fue-
rat, quandiu erat viator & comprehensor, ut glori-
am corporis, nominisque exaltationem, habuit
Christus actum sperandi. Ille tamen actus non fuit
verus actus spei, ut à simplici desiderio distin-
gnitur, ut colligitur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 18.
art. 2. ad 4. ubi docet habitibus gloriæ ani-
mæ non esse gloriæ corporis arduam sufficienti
modo, ut terminet actum spei, eò quòd gloria ani-
mæ sit sufficiens causa gloriæ corporis: Sed
Christus ab initio conceptionis habuit gloriæ
animæ, ut infra dicemus: Ergo non expectavit
gloriæ corporis per actum proprium spei, à
simplici desiderio distinctum, etsi ad actum spei
proximè videatur accedere, quàm simile desi-
derium beatorum, ut insinuat D. Thomas articu-
lo citato ad 1. eò quòd gloria corporis erat à
Christo laboribus obvenenda, non autem ab aliis
beatis; quia tamen labores illi fuerunt voluntariè
suscepti, & in seipso habebat sufficientem gloriæ

39.

60.

Disp. 9.
Art. 2.

61.



fui corporis causam, actus ille quo gloriam corporis expectavit, non fuit actus proprius spei, à simplici desiderio distinctus.

62. Si autem quæras, à quo habitu actus ille processerit? Respondeo breviter, actum sperandi gloriam corporis in Christo & in beatis procedere secundario ab habitu eliciente fruitionem, qui est habitus charitatis. Ut enim docet S. Thomas 2.2. qu. 25. art. 4. homo seipsum per charitatem diligit. Ergo per illam Deum absentem sibi desiderat, & de Deo delectatur quatenus præsentis & possessio, in quo actu beatifica fruitio consistit; & consequenter ab habitu charitatis secundario elicitur desiderium gloriae corporis, habens pro motivo formali Deum quatenus possessum. Vide quæ diximus in Tractatu de Beatitudine disp. 4. art. 2. & in Tractatu de Virtutibus theologicis disp. 9. art. 4.

Dico secundò, etiam virtutes naturales, & per se acquisibiles, fuisse in Christo. Ita communiter Theologi contra Lorcam hic disp. 38. num. 19. & alios quos refert Vazquez disp. 42. cap. 2.

63. Probatur primò conclusio: Licet intellectus Christi per scientiam beatam & infusam fuerit maximè perfectus circa objecta cognoscibilia, adhuc fuit necesse ipsum habere scientiam acquisitam, ut videlicet per illam modo sibi proportionato & connaturali perficeretur, ut docet S. Thomas infra qu. 12. art. 1. Ergo similiter licet appetitus tam intellectivus quàm sensitivus Christi, fuerint maximè perfecti per virtutes morales per se infusas, fuit tamen necesse ut in illis essent virtutes morales acquisibiles, ut scilicet per illas perficerentur modo sibi connaturali & proportionato, atque sic essent perfecti non solum in ordine supernaturali, & quoad potentiam obedientialem, verum etiam in ordine naturali, & quoad potentiam naturalem.

64. Probatur secundò: Christus non solum actus supernaturales, sed etiam naturales elicit erga materiam virtutum, cum importent honestatem moralem cum unione hypostatica & beatifica visione non repugnantem, nec humanitati Christi indecentem, & congruum fit quod Christus nullà honestate morali istius conditionis caruerit: Sed ut istos actus promptè, facillè, & suaviter, qualiter decebat, eliceret, necessariè erant virtutes per se acquisibiles, cum effectus formalis hujuscemodi virtutum sit promptum reddere subjectum ad istorum actuum elicientiam. Ergo in Christo fuerunt virtutes naturales & per se acquisibiles.

65. Confirmatur: Appetitus Christi est quantum ad entitatem ejusdem rationis cum nostro, & consequenter sicut noster appetitus non est ab intrinseco ratione propriae entitatis, completè & perfectè inclinatus ad actum honestum virtutis, idèoque indiget habitibus virtutum, ut docet D. Thomas 1.2. qu. 56. art. 4. ita appetitus sensitivus Christi, non est ratione propriae entitatis completè & perfectè inclinatus ad actum naturalem honestum, unde ut promptè illum eliciat, formà superadditã indiget, quæ nõ potest esse alia quàm virtus acquisita; nam unio hypostatica, cum non sit operativa, non potest esse forma inclinans in actus honestos; gratia verò habitualis, & virtutes infuse ipsam consequentes, solum in actus supernaturales inclinant.

66. Respondet Lorca negando Majorem principalis argumenti, cum enim (inquit) Christus fuerit supremus operans in genere virtutis, oportuit ut semper perfectissimè operaretur, quod est o-

A perari ex supernaturali motivo, ac proinde non decuit ut actus entitativè naturales eliceret.

Sed contra primò: Sicut Christus est perfectissimus operans in linea virtutis appetitivæ, ita in linea virtutis intellectivæ: Sed ex hac forma præstantia non sequitur ipsum nunquam elicitur actus naturalium scientiarum: Ergo nec prima rectè inferitur, illum nullum actum honestum entitativè naturalem habuisse.

Secundò, D. Thomas infra qu. 9. art. 4. probat fuisse in intellectu Christi scientiam acquisitam naturalem, ne facultas abstractiva specierum competens intellectui agenti, in Christo redderetur frustranea: At si nunquam actus honestos naturales elicitur, etiam redderetur inutilis & frustranea facultas naturalis voluntatis quam habet ad operandum honestè, cum per actus supernaturales hujusmodi facultas non reducatur ad effectum: Ergo ut hoc inconveniens vitemus, concedi debet Christum elicitur actus naturales honestos.

Tertiò, si hæc responsio & doctrina Lorca vera esset, sequeretur Christum Dominum non elicitur actum alterius virtutis per se infuse, quàm charitatis, subindeque in illo non fuisse aliam virtutem per se infusam, quàm charitatem. Consequens est falsum, & repugnans Scripturæ, quæ humilitatem, obedientiam, patientiam Christi, aliàsque ejus virtutes commendat. Ergo dicitur Sequela patet, nam inter omnes actus virtutum, perfectissimus est actus charitatis: Ergo si ex eo quod Christus est supremum operans in linea virtutis, & actus naturales non adæquant perfectiorem supernaturalem, colligitur nunquam naturales actus, sed solum supernaturales elicitur inferri etiam debet, ipsum non elicitur actum alterius virtutis per se infuse, quàm charitatis.

Denique, licet ex eo quod Christus sit perfectissimus operans in linea virtutis, rectè inferatur decuisse ut semper operaretur ex motivo supernaturali, tanquam ex fine operantis, non tamen rectè colligitur ipsum debuisse operari semper ex motivo supernaturali, ut sine intrinseco quocumque actus vel operis: Sed ut actus naturalium virtutum eliceret, sufficiebat ipsum operari ex motivo naturali, ut sine intrinseco operis: Ergo ex eo quod Christus fuerit supremum operans in linea virtutis, perperam inferit Lorca, ipsum actus honestos naturales non elicitur.

Respondent secundò alii, concessã Majori, negando Minorem, quæ asserit virtutes naturales & per se acquisibiles fuisse necessarias in Christo ut actus naturales honestos, promptè, facillè, & suaviter eliceret: quia in Christo (inquunt) magna erat difficultas vincenda circa actus naturales honestos; nam cum in illo ex vi unionis hypostaticæ non solum ligatus fuerit, sed etiam extinctus fomes, resistentia virium inferiorum rationi, ex qua nascitur in nobis difficultas in bene operando, impossibilis fuit.

Sed contra primò: Virtutes per se acquisitæ fuerunt in Adamo in statu innocentie, & similiter in B. Virgine; & tamen in illis non poterat inferior appetitus superiori resistere, cum in eis fomes non fuerit, vel quia ligatus, vel quia extinctus fuit: Ergo ex eo quod appetitus inferior non potuerit in Christo superiori resistere, non sequitur in illo non fuisse virtutes per se acquisibiles.

Secundò, sicut in Christo, ratione conjunctionis animæ ejus ad Verbum, non potuit esse fomes

peccati, ita nec in illo potuit esse error tam speculativus, quam practicus; & tamen non obstante hac impossibilitate erroris, ponuntur in eius intellectu scientia: acquisite naturales, ad actum scientificum faciliter eliciendum, ut infra patebit: Ergo pariter, non obstante impossibilitate formis in Christo, in eo poni debent virtutes per se acquisite, ad faciliter eliciendum actum naturalem honestum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò contra primam conclusionem: Virtutes infusæ in Christo sunt superflue: Ergo non dantur. Consequentia patet, etenim gratia non minus abhorret à superfluo, quam natura. Antecedens verò probatur. Virtutes infusæ ponuntur in potentiis animæ, ut facultatem præstent bene operandi in ordine supernaturali: Sed Christi anima hanc facultatem perfectissimè habuit ex unione ad Verbum, cum ex illa reddita fuerit impeccabilis: Ergo virtutes infusæ in Christo sunt superflue.

Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem, concessã Majori, nego Minorem: ut enim Verbum divinum præstaret illud quod virtutes infusæ præstant, & facultatem ac facilitatem præberet potentiis animæ Christi bene operandi in ordine supernaturali, deberet ipsis uniri in ratione principii operativi quo, subindeque illas informare, quod implicat, ut articulo præcedenti ostensum est.

Objicies secundo contra secundam conclusionem: In Christo non fuerunt illæ virtutes quæ habent repugnantiam cum statu beatitudinis: Sed virtutes morales acquisite sunt hujusmodi: Ergo non fuerunt in Christo. Major patet, Christus enim ab instanti suæ conceptionis fuit beatus, Minor probatur. Illæ virtutes habent repugnantiam cum statu beatitudinis, quæ non remanent in patria; cum enim beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, beati possidet omnem perfectionem statui beatitudinis non repugnantem: Sed virtutes morales acquisite non remanent in patria, ut docet S. Thomas in 3. dist. 33. quæst. 1. art. 4. & ad Annibaldum ibidem quæst. 1. art. 4. Ergo cum statu beatitudinis repugnantiam habent.

Respondeo, concessã Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, negatur etiam Minor: nam ut docet S. Thomas 1. 2. q. 67. art. 1. virtutes morales manent post hanc vitam in patria. Ibi autem S. Doctorem loqui de virtutibus naturalibus & per se acquisibilibus, manifestum est, nam loquitur ibi de virtutibus cognitis à Philosophis, qui nihil de supernaturalibus cognoverunt. Ratio etiam suffragatur: licet enim in patria non remaneat id quod materialiter se habet ad virtutem moralem, ut delectationes ciborum & venereorum, neque timor aut audacia circa pericula mortis, neque etiam distributiones & commutationes rerum quæ veniunt in usum præsentis vitæ; remanet tamen id quod est formale in ipsa virtute, nempe electio recta secundum ordinem rationis, circa honestatem & medium talium passionum; seu ut alii dicunt, remanet quantum ad actum primum & internum illius, non verò quoad secundarium, & externum. Et in hoc sensu intelligendus est D. Thomas cum locis citatis

Tom. IV.

Afferit, virtutes morales non remanere in beatis: hoc enim verum est de virtutibus moralibus, quantum ad id quod de materiali se habet in illis, vel quantum ad actum illarum secundarium; non verò quoad id quod de formali importat, & quoad actum primum & internum ipsarum.

Objicies tertio: Virtutes morales acquisite ponuntur ad refranandas passiones immoderatas: Sed hæc passiones nunquam fuerunt, imò nec potuerunt esse in Christo, cum illæ oriuntur à fomite, qui in Christo nec fuit, nec esse potuit: Ergo in Christo non fuerunt virtutes morales acquisite.

Respondeo virtutes morales acquisite poni ad refranandas passiones secundario & ex consequenti, ut si videlicet eas in subjecto immoderatas invenerint, moderentur: per se primò verò solum disponere appetitum ad faciliter & promptè eligendū in propriis materiis conformiter ad rationem. Unde in primis parentibus in statu innocentie fuerunt hujusmodi virtutes per accidens infusæ, in quibus tamen in eo statu nulla erat immoderata passio, cum per donū integritatis pars inferior esset perfectè subjecta superiori. Quamvis ergo passiones immoderate in Christo non fuerint, nihilominus in ipso fuere virtutes morales acquisite, vel acquisibiles, ut de temperantia docet S. Thomas hic art. 2. ad 3. his verbis: *Concupiscentias pravas Christus omnino non habuit, nec propter hoc tamen excluditur quin habuerit temperantiam, quæ tantò perfectior est in homine, quantò magis pravæ concupiscentiis caret. Unde secundum Philosophum 7. Ethic. temperatus in hoc differt à continente, quod temperatus non habet pravæ concupiscentias, quas continens patitur.*

§. III.

Corollarium præcedentis doctrine.

EX dictis inferitur fuisse quidem in Christo magnificentiam, & liberalitatem, justitiam vindicativam, eutropoliam, & philotimiam, sed non virtutem piæ affectionis ad credendum.

Primum docet D. Thomas hic art. 2. ad 3. & probat hæc ratione: Liberalitas & magnificentia versantur erga divitias, non solum illas distribuendo, prout, quomodo, & quando oportet, sed etiam illas penitus contemnendo, quod Christus perfectissimè fecit: exercuit etiam exteriorem liberalitatis actum, modo sibi convenienti, cum iussit pauperibus erogari quæ sibi dabantur, & actum magnificentie, quando pavit quinque millia hominum in deserto. Magnificentiam quoque prodidit in structura præcellentissimi operis, quale nemo eorum qui magnificentissimi audierunt, unquam perfecit, nempe Ecclesiæ sanctæ.

Quod etiam justitia vindicativa fuerit in Christo, sic ostenditur. Justitiæ vindicativæ (ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 1. & 2.) duplex est actus: primus petere à legitimo iudice ultionem peccati; secundus, injurias suas vel Dei defendendo propulsare: Sed neuter ex his actibus repugnat Christo, imò utrumque exercuit: primum cum Joan. 8. petiit adulteram lapidari dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* In quo dicto Christum observasse justitiam docet Augustinus Tract. 33. in Joan. de justitia vindicativa necessariò intelligendus. Secundum verò exercuit, cum Judæis Christo improperantibus quod dæmonium haberet, & quod

Lxx 2

in